

Robertus SPATARO

DE LIBRIS COLLOQUIORUM QUOS NONNULLI MAGISTRI SALESIANI  
AD DISCIPULORUM USUM VEL ANTIQUIUS VEL RECENTIUS EDIDERUNT

Illustrissimi Sodales, cum alloquar vos, semper magno afficior honore. Parcite parvitati oratiunculae meae quam, quamvis taedioso quodam morbo opprimar, sum tamen prolaturus, et nimia forsitan quadam audacia. Qua autem estis benevolentia, mihi est persuasum vos non animo aegro mea cogitata esse audituros. Oportet nunc sine ulla ambage dicam quo contendam. Meum enim propositum est ostendere quomodo magistri Salesiani, cum docerent Linguam Latinam, aliquando usurpaverint subsidia quae, genere dialogico adhibito, auxilio essent discipulis ut Latinitatem colerent vivam. Hanc ob rem argumentabor quattuor libros, quorum prior et alter multos abhinc annos in usu fuerunt, tertius autem et quartus nuper editi sunt.

Anno MCMXXXVI sollers et doctus professor salesianus Octavius Tempini edidit librum c.t. *Manuale di conversazione latina* typis Societatis Editricis Internationalis, quae olim erat officina libraria Salesiana. Constat ex L parvis dialogis qui disponuntur ex ratione grammatica. Si enim pars prior continet dialogos qui emolumento sint discipulis ut legibus Latinae morphologiae bene imbuantur, per alteram partem normis difficilioribus ad syntaxin pertinentibus alumni erudiuntur. Digna est quae illustretur praefatio exarata Italico sermone, ubi scriptor lamentatur quoniam, quamvis temporibus suis ratio studiorum a publicis moderatoribus constituta postularet colloquia haberi Latina in scholis, libri tamen eiusmodi usui discipulorum minime erant in promptu. Ex quo suspicamur parte priore saeculi exacti etiam in Gymnasiis et Lycaeis usum vivum Linguae Latinae turpiter minutum esse et multis fuisse despectui.

Octavius Tempini totam per vitam suam sacerdotalem se impendit Litteris Classicis docendis in ephebeis Salesianis, in quibus cotidianus convictus inter magistros et discipulos aliquam facultatem dabat utrisque linguae vivae fovendae etiam extra scholas. Maior pars colloquiorum quam invenimus in libello Tempini spectat ad vitam in scholis agendam. Quapropter dixerim hunc libellum, laudandum propter propositum constitutum, ingenerare tamen aliquantum taedii, ob inopiam rerum vitae effigiandae. Hic et illic legimus elogia Beniti Mussolini et Fascismi. Etiam colloquia Latina ad usum discipulorum sunt rerum Italarum monumenta historica!

Nunc pauca dicturus sum altero de libro, c.i. *Impara a parlare e a scrivere nella lingua latina*, auctore Caesare Paperini, edito anno MCMLIII. Qui nec Salesianus nec sacerdos fuit at multos post annos artis docendae in scholis, tradidit hunc librum edendum officinae librariae iam memoratae, quam Salesiani gerebant cuiusque libri omnium disciplinarum, potissimum illarum quae ad Humanas Litteras spectabant, totam per Italiam in scholis adhibebantur. Summa varietas reddit librum non solum utilem sed etiam iucundum. Constat enim ex partibus multis. Quarum prima et praecipua constituitur ex XXV dialogis. Secunda autem ex telephonicis colloquiis, tertia ex commercio epistularum, quarta ex aenigmatibus et adagiis, quinta ex summiis ad rem grammaticam pertinentibus quae appellantur “chiacchierate” vel Latine “familiars sermones”. Italica interpretatio adiungitur omnibus dialogis aliisque libri partibus.

Quod quidem placet hoc in subsidio est ars dialogica. Personae enim earumque ingenium graphice describuntur. Exempli gratia, quidam ex discipulis qui inducuntur, “Pungitopo” cognominatus, sui commodi causa tantum agit neque varietate et mysteriis naturae inflatur.

E contra eius condiscipulus, c.n. "Capotondi" inspicit etiam arcana et tamquam suavis poeta loquitur. "Tistizzi" autem, alius puer quem scriptor inducit, credulus et tardus adeo ut condiscipuli interdum iocentur de eo qui omnia facile credit. Nec desunt colloquia quibus discipuli edoceantur de virtutibus amplectendis, de vitiis repellendis, etiam de pietate erga Deum colenda. Aliis verbis, hic libellus est integrum subsidium ad Humanitatem fovendam et ad Litteras diligendas. Perutiles quoque esse videntur annotatiunculae Italice conscriptae in imis paginis ubi commentaria leguntur et aliae notitiae de rerum humanarum historia et Litterarum praecipuis operibus. Ut Paperini asseverat, per librum editum contendit ut animi discipulorum cogitatis altis nutriantur et ipsi ediscant alta et gravia cogitare, usi Latino sermone eiusque elegantia et concinnitate.

Transeamus ad libros recentius editos. Primum memoraverim de volumine c.i. *Romanorum litterae et opera aetatis nostrae gentes erudiunt*, quod Cletus Pavanetto Salesianus Sacerdos agens LXXXIX annum divulgavit, cuius altera editio typis exscripta est anno MMXVIII. Liber extat ex tribus partibus: leguntur colloquia pertinentia ad res grammaticas, colloquia de praecipuis monumentis Urbis, colloquia circa obeliscos Romanos et vias consulares. Quas libri partes scriptor exaravit adhibens alia opera, potissimum a Carolo Egger iam evulgata. Quis sit Cletus Pavanetto eiusque Latinitas omnibus prorsus est compertum: multos per annos praefuit coetui scriptorum Latinorum apud Sanctam Sedem in Civitate Vaticana et operi fundati c.n. "Latinitas".

Hoc per volumen discipulis voluit praebere facultatem exercendi linguam Latinam simulque intellegendi cur Urbs omnino caput mundi sit aestimanda. Hanc ob rem laudi Pavanetto nostro damus eius conamen instituendi alumnos ut, usi sermone Latino perpolitato et numquam obscuro, patrimonium Humanitatis amplum et copiosum ab antiquis traditum agnoscant. Mea autem opinione colloquia sive dialogi qui leguntur in libro Cleti ficti potius quam veri sunt iudicandi, eo quod personae quae inducuntur esse videantur meri lectores singularum partium vel capitum. Nec facile est memoriae mandare voces et iuncturas ut Latine tirones loqui discant.

Denique quaedam dicamus de libro c.t. *Evagrius Magister. Scholae latinae*, quem felicissimo exitu divulgavit Miranus Sajovic, Praeses-Decanus *Pontificii Instituti Altioris Latinitatis*, vir honestissimus et multis virtutibus exornatus, specimen veri oratoris, vir bonus dicendi peritus, ex Slovena gente ortus. Hic liber est subsidium tironibus ad Sacra ut rudimenta Linguae Latinae discant.

Miranus noster methodum Oerbergianam quam vocant adhibet. Singulae scholae saepius constant aut partim aut omnino ex dialogis inter varias personas. Insuper inter pensa facienda, magistro tuente, dignae memoratu sunt interrogationes ad discipulos de rebus iam recitatis in scholis, ita ut crebra colloquia serantur quibus, ut valde novimus, multum delectentur discipuli. Quorum consilium ediscendae Linguae Latinae hoc pacto corroboratur: ac saepe, extra conclavia scholastica, audire poteris discipulos inter se Latine colloquentes! Facillime discunt vocabula biblica et liturgica quodammodo iam familiaria. Liber quem Miranus noster edidit, ut patet et expedit, adhibetur iam variis in seminariis extra fines Saturniae telluris.

Antequam finem ponam oratiunculae, semel iterumque assevero Salesianis ex sancto conditore Ioanne Bosco ipso multos per annos persuasum esse per studia Humanitatis pueros et adulescentes vitam frugis adipisci posse. Quapropter multi ex Salesianis instituendi munus gravissimum perfecerunt docentes Litteras Latinas et Graecas. Inter illos numquam defuerunt et numquam deerunt illi qui, Latinitatem vivam colentes, subsidia idonea confecerunt et conficient, ex quibus praestant colloquia ad usum discipulorum. Dixi. Gratias.

spataro@unisal.it